



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

Sectio Prima. Mea, & communis sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

DISPUTATIO XII.

Comparatur Opinio propria tutior, & probabilior cum alienâ minus tuta, minus probabili.

SECTIO I.

Mea, & communis sententia.

§. I.

Advertenda.

SUMMARIUM.

Comparo in presenti propriam tutiorem probabiliorem cum alienâ minus tuta minus probabili, n. 1.

Dictum Heracliti, Tullij, & P. Eliz. in eos, qui non nisi suis adhaerent, n. 2.

Non nitendum propria prudentia, & rejicitur P. Muniesia, n. 3.

Contradictoria quid? n. 4.

Contradictoria nec ex diversis motivis simul esse possunt, n. 5.

Ut duo modalia sint contradictoria, negandus est modus, n. 6.

Sola evidentia cogit intellectum, n. 7.

2. p. lib. 6. pag. 356. Adriani verba usurpans, nos falli ubi existimamus scire, & medium insolubile habere: quare non adeo quisque presumere debet in sua scientiâ, qua forsitan pseudo-scientia est, ut totum velut in eâ concludere, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo.

Monet quoque nos Spiritus S. Prov. 3. N. 3. dicens: Ne imitaris prudentia tua; quod laudat Epist. de Obed. S. P. Ignat. Filius suis reliquit dicens: Verè prudentis esse, prudentiâ propriâ minime fidere. Si autem hoc locum habet in omni propriâ opinione, quanto magis ubi classica hinc inde militat T. T. sententiâ, quarum qualibet, præter solidas rationes, plures numerat T. T. sapientiâ, & pietate nobiles? Scio, quod P. Munies. *stim.* 7. n. 69. ut se à citato textu liberet, trahat ex Eccles. 11. alium: *Noli esse humilis in sapientiâ tuâ, ne forè humiliatus in stultitiâ deducaris.* At abs re; hoc enim textu unice vetatur, ne notitiâ moraliter saltem certam dimittamus; (hoc enim venit per tō sapientiâ) non autem precipitur, ut omnem propriam iudicemus moraliter certam, ut faciunt Probabiliorita. Nulla ergo stultitia est, propriâ, et si probabiliorem, dimittere, ut sequar alienam certo probabilem; quinimmo excedens superbæ mentis, & juvenicij tenacitas, & arrogantia est, omnem suam semper adeo probabilem iudicare, ut omnem alienam putet sibi improbabilem. Recuso tantam de meis opinionibus opinionem, & tam nullam de alienis.

Modò benè advertendum. Primò, quod N. 4. contradictio sit assensus, & dissensus de eodè secundum idem, ita ut non satis sit, ut idem affirmetur, & negetur, sed idem secundum idem affirmari debet, & negari.

Secundò, quòd sicut contradictoria ne N. 5. quidem ex diversis causis possunt in re simul esse, aliâs idem posset simul in re esse, & non esse ex diversis causis, quod implicat; ita quoque assensus, & dissensus, ne quidem ob diversa motiva, de eodem secundum idem simul in mente esse possunt; aliâs affirmatio, & negatio, amor, & odium, quia semper habent diversa motiva, simul esse possent, quod implicat.

Tertiò,

N. 1.



COMPARAVI quadrupliciter tutam cum probabili: primò, magis tutam non probabilem cum minus tuta unice probabili: secundò, magis tutam minus probabilem cum minus tuta probabili: tertio, magis tutam æquè probabilem cum minus tuta æquè probabili: quartò, magis tutam magis probabilem cum minus tuta minus probabili. Modò comparo propriam tutiorem probabiliorem cum alienâ minus tuta, minus probabili, & quæro, an liceat, dimissâ propriâ tutiori probabiliori, sequi alienam minus tutam minus probabilem, dummodo mihi sit certò probabilis?

N. 2.

Profectò illos, qui omnem suam opinionem adeo venerantur, ut alienam despiciant, Heracl. Heraclitus acutè perstrinxit, dicens, *Illos quærare veritatem in Microcosmis suis, non in mundo maiori.* Perbellè quoque Cicero, post plures relatas de Animâ sententias, deridet Musicum, qui cum non nisi Musis, & musicæ incubisset, dixit, Animam esse musicam: contra quam Cicero jocatur dicens: *Hic ab arte sua non discessit.* Non ergo Probabilitas nostræ tantum opinioni tribuenda: hoc quoque decus alienis sæpe conferendum. Etenim sæpe contingit, ut rectè P. Eliz.

N. 6. Tertio, inter judicia, alia esse absoluta, alia modalia; sicut autem, ut duo absoluta sint inter se contradictoria, negatio preponenda est copulae verbali, ex. gr. *licet, non licet*, ita ut duo modalia sint contradictoria, negatio preponenda est modo, non autem factis, ut dicto; ex. gr. *Probabile est licere, Non est probable licere*. Econtra h. c. duo, *Probabile est licere, Probabile est non licere*, non sunt contradictoria, quia etsi unum sit negativum, aliud affirmativum de dicto; attamen ambo affirmant modum, seu probabilitatem. Hinc patet repugnare simul hac duo absoluta, *Licet, non licet*; & hec duo modalia, *Probabile est licere, Non est probable licere*; quia in utroque idem predicatum veritatis absolutae, & modalis, affirmatur, & negatur de eodem subiecto. Econtra patet non repugnare simul hac duo, *Licet, probable est non licere*: *Non licet, probable est licere*; quia idem non affirmatur, & negatur: neque simul hac duo, *Licet ex motivo A, vel ex mea sententia, vel superiore precipiente*: *Non licet eo non precipiente, vel ex motivo B, vel ex aliena sententia*, quia eo ipso quod diverfum motivum expriment, diverfum habent predicatum. Patet quoque non repugnare iudicium cum objectiva opposita opinionis probabilitate, aut probabilitate, quia tunc unum tantum adest iudicium, etsi simul adfit motivum pro iudicio opposito, quod tamen non adest.

N. 7. Quarto, intellectum numquam necessitari ad assensum, nisi ab evidentia, qua absente potest a voluntate suspendi omnis assensus absolutus, & modalis, ut docui d. 8. Hinc etsi mihi proponantur motiva probabiliora pro licentia actus, possum tunc suspendere, tum hoc iudicium absolutum, *Licet*, tum hoc modale, *Probabilis est licere*, quia tunc nulla adest evidentia cogens ad alterutrum, aut ad utrumque.

§. II.

Mea mens.

SUMMARIUM.

Licetum est, stante maiori securitate, & probabilitate objectiva opinionis opposita, opinari, & operari iuxta alienam minus iuram, dummodo ea operanti sit certo relative probabilis, num. 8.

DD. hoc tuentes, n. 9.
 P. Suar. laudat TT. qui simul docent, oppositam propria esse in praxi probabilem, ib.
 Probabilioris idem tuentes, ib.
 Adrian. dictum in Confessores, ib.

DD. negantes, num. 10.
 Ostendo, quod nulla tunc contradictio, n. 11.
 Iudex, iuxta S. Thom. sciens aliquem non esse reum, si ex probatis constet esse reum, potest eum damnare, n. 12.
 Sequens alienam, non mentitur, n. 13.
 Mens P. Scildere de iudice Supremo, & de inferiori, ibid.

Judico cum communi TT. sententia, N. 8. quod stante objectiva maiori probabilitate, & securitate propriae opinionis, licitum sit opinari, & operari iuxta alienam minus tutam minus probabilem, dummodo a me iudicetur certo practice relative probabilis. Dixi, cum objectiva probabilitate, non autem cum iudicio probabiliore, ne quis supponat, nos dicere, simul esse posse duo iudicia contradictoria, unum probabilius, *Non licet*, aliud minus probabile, *Licet*, quod repugnat.

Ita P. Suar. 1.2. tr. 3. d. 12. sect. 6. n. 9. dicens, recte facere TT. qui licet doceant suam ut probabiliorem, simul docent contrariam esse in praxi probabilem, & ita usus obtinuit, qui multum confirmat conclusionem positam. P. Valq. 1.2. d. 62. cap. 4. n. 14. & d. 67. cap. 1. n. 4. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 9. C. de Lugo de Fide d. 11. n. 41. & de P. nit. d. 22. n. 46. P. Moya tom. 2. qu. 3. P. Ant. Perez tr. 1. de Iust. d. 4. n. 19. & 68. dicens, Confessarium teneri sequi opinionem poenitentis, etsi sua oppositam, dummodo sit probabilis; P. de la Fuente disp. 3. a num. 67. S. Anton. 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. M. Soto in 4. dist. 18. qu. 2. n. 5. M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 8. n. 6. P. Teril. de Reg. Mor. qu. 22. & de Conf. Probabili qu. 23. dicens esse rem testatissimam, & alij plurimi apud DD. citatos. Quin ex Probabilioristis stant Philal. pag. 70. M. Merc. 3. p. art. 7. M. Mart. de Prado tom. 1. cap. 1. de Conf. qu. 6. §. 3. qui licet doceat, quod; per se loquendo; teneamur ad probabiliorem, attamen t. c. ait, Confessarium teneri conformare se cum opinione poenitentis, si extrinsece saltem sit probabilis; Adrian. in 4. qu. 5. de Conf. d. 6. & 7. laudatus, & citatus a P. Eliz. 2. p. lib. 6. qu. 20. §. 3. pag. 399. & §. 11. pag. 356. Adrianus, inquam, qui ait: Si a pluribus, vel gravioribus, seu etiam equalis auctoritatis Doctoribus contrarium teneatur, non adeo praesumere debet (Confessarius) ut totum velit in tuam opinionem, quae forsitan erronea est, concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia sit obitura cum eo, sed dissimulare tunc debet: si autem a paucioribus, vel minoris auctoritatis, vel debili admodum

P. Valq. P. Sanch. C. de Lugo. P. Mey. P. Perez. P. de a Fuente. S. Anton. A. S. Tap. P. Teril. Philal. M. Merc. M. de Prado.

Adrian. P. Eliz.

admodum fulcitis ratione, ut non possit rationabiliter eam in parte dici confitens errare, teneatur consistentem erudire. Hæc Adrianus. Ecce quæ modestiæ, & energiæ Antiqui fundendum, nec putandum Solem non nisi propriam in domo oriri, in alienam occumbere. Adrian. Vult ergo Adrianus, pœnitentem erudendum esse, quoties adeo infirmis nititur rationibus, ut judicari possit rationabiliter errare; quod si solidis nitatur, etsi minus, tunc absolvendum esse.

N. Negat Corduba, P. Eliz. lib. 1. qu. 17. & lib. 3. a qu. 11. ad 14. & lib. 6. qu. 20. §. 3. & Cordub. §. 11. pag. 357. sepe repetens, quod Confessarius absolvere nequeat juxta alienam; Palanco qu. 35. per totam, P. Muniel. & P. D. Thyrius dis. 5. §. 2. qui ex Probabilitatis citat P. Palao, P. Bress. P. Elparz. Averlam, & P. Teril. qu. 30. Revera tamen nullus ex citatis Probabilitatis nostram sententiam negat, sed unice negant, quod stante judicio directo proprio liceat sequi alienam; ergo non negant, quod illo dimisso alienam minus tutam minus probabilem sequi liceat.

N. Prima nostræ conclusionis ratio est; quia si non licet sequi alienam, (intellige semper minus tutam, & minus, certo tamen relativè probabilem, ne idem centies repetam) maximè, quia tunc in eodem intellectu simul essent duo judicia contradictoria circa idem objectum; ad hoc enim reducitur, quod tam prolixè tradit P. Eliz. sed hoc est falsum; ergo &c. Minor probatur; quia sequens alienam multipliciter se habere potest: 1. suscipere potest directum de veritate propriæ opinionis judicium, & assumere aliud directum de veritate aliene; tunc autem nulla contradictio, quia non adest, nisi judicium sibi minus probabile de veritate alienæ: 2. suspensio eodem directo de veritate propriæ opinionis judicio assumere potest, tum directum minus probabile de veritate alienæ, tum reflexum de probabilitate propriæ; tunc autem nulla quoque contradictio, nam unum est absolutum, Non licet, aliud modale, Probabile est licere: 3. retento judicio directo de veritate propriæ, concipere potest reflexum nixum huic veritati, Licet conformare se judicio alieno verè prudenti, etsi minus: tunc autem nulla etiam contradictio, quia directum est absolutum; ex. gr. Non licet commutatio officij; (utòr ex. plo P. Eliz. quidquid sit de illius veritate) reflexum est modale, Probabile est eam licere: ergo quantum est ex judiciorum contradictione, cum hæc non detur, licet sequi alienam minus tutam minus probabilem.

Confirmo; quia juxta S. Thom. 2. 2. qu. N. 70. art. 2. ait M. Medina 1. 2. qu. 19. art. 6. 12. Judex evidenter sciens Petrum non esse S. Thomeum, si ex allegatis, & probatis constat M. Med. eum esse reum, potest eum damnare: ergo (subdit M. Medina) licet agere contra propriam opinionem, etsi evidentem. Idipsum docet. P. de la Fuente in Theol. Reform. P. 4. diss. 3. a num. 65. ubi quærit, qualiter Judex alienæ sententiæ se accommodare possit; & ait: Quod Judex opinionem propriam dupliciter deponeret; vel speculativè, suspendendo illam; vel practicè, quatenus nec retractato, nec suspensio suo directo speculativo judicio, adhuc per extrinsecam principia concludit, se posse, immo debere contra illud judicare. Ut autem, si proprium suspendat, nulla tunc contradictio, quia tunc non adest, nisi unum judicium; ita quoque nulla, si non suspendat; quia Judex potest simul judicare, quod aliqua interpretatio, juxta extrinsecam autoritatè, sit probabilior, & juxta rationes intrinsecas sit minus probabilis: immo potest scientiâ propriâ judicare Petrum non esse reum; & juxta probata esse reum. In quo casu satis frequenter adest, tum judicium evidens, Petrus non est reus, nec ulla inter ea judicia oppositio: ergo tantum adest, ut non liceat, quin juxta S. Thom. & ejus Scholam Judex retento tunc proprio judicio sibi evidenti alienam opinionem sequi debet.

Dices: Sequens alienam, vel omittit propriam, vel non? Si omittit, eo ipso sequitur suam; nam alienam facit suam; si non omittit, mentitur, quia loquitur contra mentem. Resp. quod qui omittit propriam facit suam, non ideo sequitur suam, nisi fiat questio de voce, nam sua est, quam omittit, imò sit sua, eam sequitur ut minus probabilem: similiter, qui retentâ propriâ sequitur alienam, non mentitur; aliàs omnis Doctor aliquem approbans librum mentiretur, quod dici non potest, quia ejus libri doctrinam non approbat ut veram, sed ut verosimilem, & probabilem. Ita in nostro casu, qui retinet suam, eo ipso nec judicat, nec judicare potest alienam esse veram, nam suam judicat veram; judicat ergo alienam esse certo probabilem. Hæc autem duo judicia, Non licet mutatio officij: Certo probabile est eam licere, non sibi opponuntur. Consentit P. Scilder. tr. 2. n. 72. dicens, quod Judex superius (non autem inferior) damnare possit illum, quem privatâ scientiâ novit esse reum; etsi judicialiter probetur non esse reum; & n. 74. & 75. loquens de Judice inferiore dicit, quod si causa sit civilis, vel si crim-

criminalis sit, & non agatur de poena mortis, nec de cruciatio, nec de mutilatione, potest, si ex probatis constet esse reum, damnare illum, quamvis privatâ scientiâ nosset non esse reum. Ecce in his casibus duo adfunt judicia, unum scientificum privatam de non reatu; aliud judiciale ex probatis moraliter certum de reatu; & tamen licet tunc non sequi scientificum, sed sequi moraliter certum de reatu, & damnare illum, dummodo poena non sit mortis, cruciatus, aut mutilationis: ergo, juxta Probabilioritas, licet sine ullâ judiciorum contradictione sequi minus certam.

§. III.

Suadetur conclusio ex virtute Obedientia.

SUMMARIUM.

Regula Obedientia est, Pavendum in omni, quod subdito non constat certo esse peccatum, n. 14. Quin etiam, ait P. Eliz. cum ei certo constat esse peccatum, ibid. Obediens potest se tripliciter habere, n. 15. Sicut in voluntate, ita & in intellectu dantur actus prudentia, inaequaliter perfecti, omnes tamen prudentes, n. 17.

N. 14. **S**ecunda ratio est; quia subditus potest, & debet obedire superiori præcipienti oppositum illius, quod subditus non certo judicat esse peccatum; est enim constans SS. Patrum doctrina, quod subditus tenetur parere in omni eo, quod ei non constat esse certo peccatum; immo ex P. Eliz. lib. 3. qu. 14. pag. 182. *est ex suo judicio certum videatur esse peccatum: (res sanè inaudita!) sed opus minus probabile subdito de licentiâ à superiore præceptum ei non constat esse certo peccatum; ergo tenetur in eo parere superiori; ergo non tantum licet, sed subdito necessarium est, opinari, aut saltem operari juxta opinionem sibi minus probabilem, minusque tutam. Sicut ergo nulla tunc in subdito judiciorum contradictio, nempe inter hoc directum, Non licet mutatio officij, & hoc reflexum, Licet superiore præcipiente, quia contradictio est affirmatio, & negatio ejusdem prædicati de eodem subjecto; in hoc autem casu prædicatum judicii reflexi est diversum à prædicato judicii directi; ita nec alibi.*

N. 15. **C**onfirmo 1. quia obediens, aut sequens alienam potest tripliciter se gerere: vel ita ut cum ultimo judicio practico, *Non licet*, sicut aliud directum, *Licet*; hoc autem repugnat, & nullus Probabilista docet, (ait me-

rito P. Moya tom. 2. qu. 3. num. 3.) & ideo in concisione dixi, quod hoc judicium minus probabile, *Licet*, stare possit cum objectiva probabilitate, non autem cum subjectivâ, seu cum hoc ipso judicio probabiliori, *Non licet*: vel ita cum hoc directo practico, *Non licet*, stet aliud modale, *Probabile est licere*; hæc autem duo judicia, cum habeant diversum objectum, nempe non licentiam, & probabilitatem licentiæ, non opponantur: vel ita ut, suspensio omni directo, formetur reflexum mixtum regulæ, *Pavendum in omni, quod non est certo peccatum*, aut formetur duo modalia, *Probabilius est non licere, Probabile est licere*; quæ ambo cum sint affirmativa de modo, non opponuntur: ergo nulla unquam contradictio.

Confirmo 2. Potest quis absque ullâ judiciorum contrarietate sequi alienam tutiorem, & probabilioram: ergo etiam absque illâ poterit quis sequi alienam sibi minus probabilem, & minus tutam contra propriam tutiorem, sibi probabilioram. Si enim ex P. Eliz. lib. 2. qu. 8. pag. 50. nil prudentius, quam fidere viro prudenti, eo ipso prudentis erit sequi alienam; vel si hanc sequi non licet, non erit prudentis, fidere aliene prudentiæ.

Confirmo 3. Dantur in voluntate, in linea honestatis, & perfectionis, actus inæqualiter honesti, & perfecti, omnes tamen perfecti, & honesti: ergo etiam in intellectu, in linea prudentiæ, dari poterunt actus inæqualiter prudentes, omnes tamen prudentes: ergo si voluntati licet, omisso actu honestiori, ponere minus honestum; licebit quoque intellectui, omisâ probabiliori tutiori, eligere inter opiniones minus tutam, minus probabilem, quin eligens sit imprudens, sed prudens sit.

§. IV.

Prima Adversariorum responsio.

SUMMARIUM.

Ait P. Thyrif. & P. Munnif. subditum, ut obedire possit, teneri suum judicium deponere, n. 18. Dicitur P. Suar. de Obedientia, ib. Ea judicij depositio, nec physice, nec moraliter est necessaria, n. 20. Nulla virtus obligat semper sub præcepto ad supremum suum actum, n. 21. Est Obedientia, juxta S. August. & S. Thom. sit suprema inter virtutes morales, at tamen non obligat, nisi ad subdendam voluntatem, ibid. Quinam sit, juxta S. P. Ignat. supremus Obedientia

dicentia gradus? Consultit, ut quæramus rationes pro superioris opinione, n. 22. 23. 24.

In quo consistat Obedientia occa? n. 23.

Obligans semper ad supremum actum, tollit substantiam Obedientia, n. 25.

Obediens est certus se non peccare ex reflexa obedientia regulâ, ib.

Solus Deus, & Papa, ut loquens ex Cathedrâ, obligat sub peccato intellectum, ut teneat pro vero in re, quod ipsi dicunt. Et discrimen aliorum Superiorum ab illis, n. 26. & 27.

Si depositio iudicij proprii, & assumptio alieni conformis iudicio Superioris, est necessaria, plerique subditi laici, aut Religiosi obedientiam legem non implere, eorumque confessiones nulle, n. 28.

Præcipere optimum, est pessimum, ib.

Depositio iudicij est medium pro perfectione obedientia, n. 29.

Præceptum ex P. Suar. solam practicam, non speculativam rei præcepta probabilitatem, auget, n. 30.

Voluntas Dei per Superiores intimata saepe esse potest de re in se non licita, n. 31. & 32.

Fides respicit omnem falsitatem, obedientia solam practicam, n. 33.

Ut quis obediat, satis, si Superioris opinionem præsumat practicè veram, n. 34. & 35.

Nemo ex SS. P. P. obligat sub præcepto ad depositionem iudicij, n. 36.

Obedientia elogia, ex gr. Parentum homini, ac Christo D. sunt media, non præcepta, ib.

Si tenet obedientia regulâ, Parentum in omni, quod non est certo peccatum, tenet & non infra, Licet, aut permissum est omne, quod non est certo peccatum, n. 37.

Quam plana, juxta nos, obedientia, quam ferè impossibilis in principis Probabilioristarum, n. 38. & 39.

N. At. Eliz. lib. 3. qu. 14. pag. 179. & 181.

18. & P. Thyrsus disp. 14. num. 101. dicunt,

P. Eliz. quod ut subditus obedire possit, deponere

P. Thyrs. debeat suum iudicium; quæ doctrina (lib. 6.

P. Suar. de Leg. cap. 8. n. 5. ait P. Suar.) est cõmunis, &

in praxi necessaria. Si enim non deponat, ope-

rabitur contra conscientiam; immò iudicare

debet Superioris opinionem non solum esse

probabilioris, sed absolutè veram, nisi

constet malum esse, quod iubet; & ideo P.

Suar. tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 4. cap. 15.

monuit: Considerare oportebit, an res se-

cluso præcepto sit ex utraq; parte proba-

bilis; & tunc generaliter verum erit, ad-

jecto præcepto obediendum esse, quia cum

utraq; pars supponatur esse probabilis, ad-

jecta ratione obedientia pars illa eligibi-

lior fiet; nam, moraliter loquendo, non po-

test ille excessus probabilitatis esse tantus, quin merito prætermittatur per virtutem Obedientia, præsertim quia autoritas Superioris probabilitatem alterius partis multum auget. Hæc P. Thyrsus ex P. Suar.

Ut responsionis nullitas, & moralis impossibilitas obedientia constet, nisi sequi liceat minus probabilem, vel nisi satis sit iudicium reflexum, ostendere oportet non esse necessarium, immò saepe repugnare, ut subditus proprium iudicium deponat, & multo magis, ut Superioris opinionem iudicet absolute veram.

Primum ostendo; quia hæc necessitas, vel est physica, eò quia simul in mente subditi coexistere duo iudicia contradictoria, nempe proprium, Non licet; & aliud conforme iudicio Superioris, Licet; sed hoc est falsum; ergo subditus nullâ necessitate physica obligatur deponere suum iudicium. Minor probatur; quia, ut dixi n. 11. subditus multipliciter potest se gerere: 1. retento suo iudicio directo, Non licet, tumere simul aliud directum de diverso prædicato, Licet. Superiore præcipiente, aut aliud modale, Probabile est licere: 2. suspensio omni iudicio directo tam suo, quam alio Superioris iudicio conformi, formare unice, vel modale, Certo probabile est licere, vel reflexum nixum huic regule, Licet, quoties quod præcipitur non est certo peccatum; sed in his nulla contradictio; ergo ut quis obediat, non est physice necessarium, ut suum iudicium deponat. Vel hæc necessitas est moralis; assignetur autem lex obligans subditum ad sui iudicij depositionem; necumquam assignatur; ea enim lex assignitur à Probabilioristis, & fingitur, aut cum suâ sententiâ possibilitatem obedientia componant; quam tamen non componunt, cum obliget saepe ad impossibile. Tota enim

lex, quæ datur, est, Parentum Superioris, quoties, quod præcipitur, non est subdito clare peccatum. In qua nulla mentio fit de proprii iudicij depositione; ergo inaniter fingitur, & unice, ut argumentum fugiatur; tanto magis, quod subditus adhuc retento suo iudicio obedire potest.

Ostendo 2. Nemo ut obediat tenetur ad N. supremum obedientia gradum; sed supremus obedientia gradus est omittere iudicium proprium, & formare aliud simile iudicio Superioris; ergo nemo ex obedientia præcepto tenetur proprium iudicium deponere, & aliud concipere simile iudicio Superioris.

Maiores patet aliarum virtutum paritate, in quibus supremus earum gradus non cadit semper sub præceptum, quod per plures alios, infra supremum, perfectos actus saepe imple-

impletur, ut constat in Fide, in Charitate &c. Ergo & in Obedientiâ. Minorem probat ex S. Aug. lib. 1. contra Adver. cap. 74. dicente, *Obedientiâ est maxima virtus, immo omnium origo, & mater virtutum, in eâ naturâ, cui sic datum est arbitrium libera voluntatis, ut eam necesse sit vivere sub potestate melioris*: &c.

S. Tho. ex S. Thom. 2. 2. qu. 104. art. 3. qui ait: *Per se loquenda, laudabilior est Obedientiâ virtus, qua propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam alia virtutes morales, qua propter Deum aliqua alia bona contemnit*. Ecce etiam uterque S. D. obedientiam omni virtuti morali præferant, nullam nisi de voluntatis, non verò de iudicij subiectione, mentionem faciunt: ergo si subiectio iudicij non est de essentiâ, & præcepto obedientiæ, multò minus erit iudicij omisio.

Clarius S. P. Ignat. qui in aureâ suâ de Obedientiâ Epist. distinguit tres Obedientiæ gradus, nempe operis executionem, voluntatis conformitatem, & iudicii uniformitatem, hanc autem vocat perfectissimam Obedientiæ gradum, nobisque persuadet obedientiam cæcam, (quo modo in rebus Fidei) nequitiam disputando, sed licitum supponendo, quod Superior iubet, & nobis non constat certò esse peccatum.

Sancè ipse M. Gonetus Probabiliorista tom. 4. tr. 1. 1. disp. 4. n. 4. tractans de conditionibus Obedientiæ dicit, debere esse cæcam, non quòd homo non videat, quid exequatur, aut quòd temerariè, & cæco modo exequatur opus, five sit licitò, five illicitum; hoc enim esset operari contra rationem; sed quòd non perfructetur rationes, & motiva, quæ Superiorem induxerunt ad præcipiendum, satisfique ei sit præcipi ab eo, qui vices Dei tenet, dummodo non constet esse illicitum. Hæc M. Gonet. Similiter M. Passerinus tom. 1. in 2. 2. qu. 186. agens de voto, & perfectione Obedientiæ num. 30. ait, quòd obedientia ex parte intellectus debet esse perspicax, ut in Superiore Deum agnoscat; cæca, ut non curet scire motiva, ob quæ præcipit, cum pro motivo satis sit voluntas præcipientis: ergo non est de essentiâ Obedientiæ, sed ad summum de supremo ejus apice uniformitas iudiciorum subditi, & Superioris; sed satis executio operis, & conformitas voluntatum.

Quare si, juxta P. Eliz. in Appendice qu. 2. pag. 248. in manu nostrâ non est opinari, non video qualiter in manu cujuslibet obedientis esse possit opinari oppositam Superioris opinionem.

Confirmo; quia S. P. Ignat. postquam suos ad supremum Obedientiæ gradum exhortatus est, monet, ut inquirent rationes, ob

quas rem præceptam judicent licitam. Si ergo Religiosi, quos ad supremum Obedientiæ apicem evehere conatur, tenentur inquirere rationes, ut possint uniforme Superioris iudicio formare iudicium, eo ipso sequitur 1. quòd sola Superioris authoritatis non sit, ut uniforme iudicium formetur: 2. quòd nemo, juxta Probabilioristas, obedire poterit, & multò minus tenebitur, nisi postquam eas rationes invenit; nam, juxta eos, ea iudiciorum uniformitas est de substantiâ Obedientiæ; adcoque dum omnes subditos obligant ad summum, hoc autem respectu omnium vix possibile sit, vix aliquis obedire poterit: 3. quòd ea iudiciorum uniformitas non est de substantiâ Obedientiæ; aliàs, qui obedit, non omisso suo iudicio, & non formato alio iudicio Superioris conformi, peccaret mortaliter quòd dici nequit, si res præcepta sit gravis.

Ostendo 3. quia, ut scitè P. Vasqu. 1. 2. d. 62. cap. 6. n. 33. per hoc præcisè, quòd Superior præcipiat, non accedit novum manus motivum, ob quòd ratio, quæ antea subdito erat gravior, fiat minus gravis; & quæ erat minus gravis, fiat gravior: ergo cum Superioris præceptum non mutet objectivè statum intellectus subditi, dici nequit, quòd ut obediat, deponere teneatur suum iudicium probabilius de non licentiâ, & formare aliud directum sibi probabilius de licentiâ rei ut est in se. Dico, sibi probabilius; si enim dicatur satis esse, ut formet minus probabile, eo ipso habeo intentum, quòd subditus obedire nequibit, nisi licitum sit sequi minus probabilem.

Aptè enim C. de Lugo lib. 3. Respon. Mor. dub. 14. n. 19. ait: *Si auctoritas, & ratio Prælati non habent pondus, & vim ad vincendum dubium, quòd subditus habet de turpitudine rei præcepta, nec potest, nec tenetur obedire*. Ecce si auctoritas, etsi unita rationi, vim non habet vim vincendi dubium subditi, quantò minus sola auctoritas Superioris, ut ita vincat, ut quòd erat minus probabile, videatur probabilius; & contra? Profectò constat plerisque Superioribus, five Ecclesiasticis, five laicis, dum præcipiunt, nullam prorsus pro veritate rei præceptæ afferre rationem. Est quidem subdito reflexè certum, quòd res præcepta sit licita, si ei non constat certò quòd sit mala, quatenus hæc regula reflexa est illi certa, *Omne quòd præcipitur, si non sit certò malum, est licitum*; at tamen quòd res præcepta sit in se licita, seu sit speculativè verum esse licitam, hoc subditus ignorat; imò ipse Superior, cum ei probabilius tantum sit, non autem certum sit, quòd sit licita.

Igitur

N. 25. P. Vasq.

C. de Lugo.

Igitur quælibet res præcepta, si non constat certo esse mala, est semper practicè licita, quatenus est conformis regulæ Obedientiæ: an autem sit in re, seu speculativè licita, nescitur: ergo cum Superiores per præceptum nullam afferant rationem, quomodo subditus poterit, & debet deserere suum iudicium directum probabilius de non licentiâ rei, ut est in se, & formare aliud de licentiâ rei ut est in se, non autem practicè ut est præcepta, & non est illi certo mala?

N. 26. Ostendo 4. Juxta omnes T. T. sola Fides, & prudentia sunt virtus intellectus; & inter visibiles Superiores solus Papa habet vim obligandi, ut teneatur pro vero in re id, quod ex Cathedrâ definit ut tale; ita ut si definiat hoc esse licitum, sit non tantum practicè, sed in re licitum. Cum ergo hæc ita sint, quo jure dicitur, de essentiâ Obedientiæ esse, non tantum ut subdat voluntatem, sed etiam intellectum, & voluntati imperet, ut opus ponat; intellectui vero, ut suum probabilius sibi iudicium deponat, & aliud directum assumat, quo judicet, ut Superior judicat, rem esse in re licitam? Rursus quo jure privilegium obligandi intellectum, ut habeat pro vero in re, quod ipsi credendum proponitur, soli Deo, & Papæ, ut ex Cathedrâ loquenti, reservatum, conceditur omni Superiori, etiam laico, (nam laicis quoque inest vis legislativa) adeo ut omnis subditus, ut pareat, teneatur suum iudicium deponere, & assumere aliud conforme iudicio Superioris, quo judicet speculativè verum, & in re licitum omne, quod ei constat non esse certo malum? O felix sæculum, in quo quilibet idiota per hoc præcisè, quod Superior juberet, ut istas, non illas sequeretur opiniones, eo ipso sine ulla ratione, & studio, judicare deberet illas in re veras, has falsas! O subditorum confessiones invalidæ saltem, si non sacrilegæ! Quis enim inter subditos est, qui exequens opus præceptum confiteatur, quod suum iudicium non deposuerit, nec formaret aliud directum de rei licentiâ conforme iudicio Superioris? Si ergo nec illa est felicitas, nisi somniantis, nec dictæ confessiones, ut fidelium praxis docet, habentur ut invalidæ, eo ipso constat non esse de præcepto Obedientiæ, ut subditus suum iudicium directum deponat, & multò minùs, ut aliud directum formet, quo judicet tale opus esse in re licitum, ut Superior judicat. Sed de essentiâ Obedientiæ, & obedientis est, ut velit, & ponat opus præceptum, & illud judicet reflexè licitum, quatenus est certa

Obedientiæ regula, *Omne quod præcipitur, & non constat certo esse malum, est practicè licitum, & exequendum.*

Hinc constat differentia aliorum Superiorum à Deo, & Papæ; Deus enim, & Papa, ut ex Cathedrâ loquens in materiâ Fidei, & morum, dum loquuntur, & præcipiunt, obligant, ut habeatur, ut in re tale, ex gr. verum, & licitum, quod tale dicitur: Deus ratione suæ sapientiæ, ob quam falli non potest, & suæ veracitatis, ob quam fallere non potest; Papa ex speciali tunc Spiritus S. assentiâ. Nemo autem aliorum potest sub præcepto obligare intellectum, ut teneatur pro vero, quod ipsi tale judicant; si enim ipsi Superiores non nisi probabilius ob suas rationes judicant tale opus licere, qualiter subditus, qui eas rationes spernit, solâ juberentis authoritate impulsus tenere potest rem præceptam esse in re licitam? Appello ad experientiam, an hæc mutatio proprii iudicii probabilioris in oppositum probabilius, & quidem, ut sæpius evenit, nullâ additâ à Superiore ratione rei licentiam suadente, sit facilis, an ferè semper impossibilis? Si igitur difficilissima est, & si inter homines nulla frequentior est virtus, quam Obedientiâ, (vix enim est, qui non sit subditus alicui) quomodo virtus tam necessaria pendere debet ab eâ iudiciorum mutatione? Constat quoque, quod licet subditus rem exequi non possit sine dictamine de licentiâ, attamen hoc subditi iudicium, seu dictamen, *Licet*, est longè diversum ab hoc Superioris iudicio, *Licet*. Explico. Subditus directè judicat, *Non licet esus tali die*; Superior directè judicat, *Licet eo die*. Hæc sunt contradictoria. Præcipit Superior subdito, ut edat; subditus edere nequit, quin judicet licitum edere: ecce hoc reflexum iudicium subditi, *Licet esus*, non est conforme huic iudicio Superioris, *Licet esus*; nam hoc subditi iudicium (casu quo, ut potest, nolit suum deponere, aliudque formare simile iudicio Superioris) est, *Licet esus ut à Superiore præceptus*; & hoc dictamen est conclusio supra suas præmissas reflectens; præmissæ autem subditi sunt, *Licet omne, quod Superior jubet, & mihi non est certo peccatum: sed talis esus jubetur, & mihi non est certo peccatum*: ergo licet. E contra Superioris iudicium, *Licet esus*, nititur aliis præmissis, & rationibus, quibus subditus caret: ergo tantum abest, ut formare debeat iudicium simile iudicio Superioris, quin non potest, nisi Superioris rationes vite subdito minùs probabiles, appareant illico illi probabiliores, quod vix evenit; vel nisi subdito licitum sit

fit sequi opinionem minus probabilem sibi de licentia eius.

Offendo 5. quia si, ut subditus pareat, necesse semper est, ut suum iudicium deponat, aliudque conforme iudicio Superioris concipiat, sequitur 1. quod nemo obedire poterit, nisi supremum Obedientia actum exerceat, adeoque possibile non erit obedire, nec in primo, qui est exequi rem preceptam, nec in secundo gradu, qui est conformitas voluntatis subditi cum voluntate Superioris. Secundo, quicumque rem exequatur, & suam voluntatem voluntati Superioris conformet, peccabit mortaliter; quia, juxta P. D. Thyri. & P. Muniel. num. 81. si subditus retento suo iudicio operetur rem preceptam, peccat contra propriam conscientiam; & quia, juxta eundem, de essentia Obedientia est, ut suum iudicium deponat, aliudque uniforme iudicio Superioris concipiat. Utraque autem sequela est intolerabilis: Prima, quia sicut aliarum virtutum precepta non tantum per solum supremum, sed per alios non ita perfectos earum virtutum actus implentur; ita & Obedientia preceptum. Secunda, quia filii, subditi, vasalli, qui suorum parentum, Superiorum, & Regum precepta, & leges implere, si ea implendo non deposuerint suum, & conceperint aliud uniforme iudicium iudicio parentum, Superiorum, & Regum, nunquam Obedientia legem implere, quin contra conscientiam operati sunt, & quidem, si materia precepti fuit gravis, peccaverit mortaliter, quod est inauditum. Memorabili me Romae a P.N. Olivā absolutae prudentiae viro audisse: Ego a subditis meis optimum desidero, non peto, quin contentus sum mediocri; qui enim optimum preceptum vult, pessimum plerumque recipiet, cum optimum non sit nisi paucorum, & raro possibile.

Hinc patet ad responsionem. Ad 1. textum ex P. Suar. dico, quod iudicii depositio necessaria non fit nisi ut perfectius, & facilius, non ut simpliciter obediatur; quoties enim quis utitur, si vult, medio difficili, facilius erit finis; ita facilius quis se conteret, si jugi meditationi se dedat; facilius castus, si saeculo abrenuntiet; quis tamen dicit, illud ad contritionem, hoc ad castitatem simpliciter necessarium?

Alter textus est expressè contra P. Thyri. & P. Muniel. Primo, quia P. Suar. dicit, quod duplex opinio apparere possit subditi probabilis, quod illi negant. Secundo, quod si utraque sit probabilis, accedente precepto parendum sit; illi autem volent paventi Tom. H.

non posse, nisi Superioris opinio fiat subditi probabilior. Tertio, quod res per preceptum fiat practice probabilior, seu eligibilior; illi autem volunt, quod debeat fieri etiam speculative probabilior. Quarto, quod P. Suar. non dat cuique opinioni subditi tantam probabilitatem, ut plerumque ea à Superioris autoritate vinci non possit; illi autem cuicumque probabiliori tantam dant, ut opposita non sit certo probabilis. Si ergo omnis propria opinio est subditi adeo probabilior, ut Superioris opinio non maneat illi probabilis, quomodo obedire poterit? Quinto, quia per P. Suar. preceptum & autoritas non augent nisi probabilitatem practicam; illi autem volunt, quod etiam speculative, quam si non augent, obediri tunc non posse.

Dices: Voluntas Superioris est voluntas N. Dei, hæc semper est de re ut in se licita, ergo etiam voluntas Superioris. Secundo, Obedientia comparatur fidei; hæc est de objecto ut est in se; ergo & Obedientia. Tertio, quia quoties Superioris opinio non est certo falsa, presumenda semper est vera. Quarto, quia opinio Superioris per preceptum fit probabilior. Quinto, quia omnes SS. Patres dicunt deponendum iudicium, aliudque concipiendum iudicio Superioris conforme.

Resp. voluntatem Dei ut est in se non esse, nisi de re in se licita, quia regitur à Dei intellectu errandi incapaci; voluntatem autem Dei per Superiores intimatam, etsi (si res non sit certo mala) semper sit de re practice licita, non tamen semper de re etiam speculative licita, quatenus Superior ex errore invincibili potest prudenter putare licitum, quod in re tale non est.

Ad 2. resp. quod cum Fides sit virtus speculativa intellectus, respuit omnem falsitatem; Obedientia vero respuit semper falsitatem practicam, non autem semper speculative; satis enim illi est, ut opus sit conforme regulis morum, etsi objectum aliter esset in re, ac iudicatur.

Ad 3. dico Superioris opinionem non esse necessario presumendam semper speculative veram; satis ut semper practice vera supponatur; est autem, quoties res precepta non est certo mala.

Ad 4. dixi opinionem per preceptum fieri practice probabiliorem, seu eligibiliorem.

Ad 5. peto ab Adversariis, ut vel unum ex SS. PP. dent, qui omnem subditum facultarem, & Ecclesiasticum obligent semper sub precepto, ut proprium iudicium deponant.

nant; *consulunt* quidem hoc pro Obedientia facilitate, & perfectione, non obligant; & quando dicunt, praesumendum iustum quod iubetur, & parendum homini, ac si esset Christus D. haec, & similia non sunt praecipita, sed media pro perfectione Obedientiae. Immo si depositio iudicij esset praecipitum, destrueretur Obedientia quoad substantiam, & non salvaretur nisi quoad suum supremum actum: ergo cum Obedientia quoad substantiam salvanda sit, depositio iudicij praecipitum non est. Hinc constat, quod dum Probabilioristae quemlibet obligant ad obedientiae apicem, confundunt obedientiae substantiam cum summa ejus perfectione, quia substantiam destruunt.

N. 37. Ex his dictis clare firmatur principium a nobis probatum, & probandum d. 15. quod sicut omne, quod certo non constat esse malum, si praecipitur, sit exequendum; ita omne, quod certo non constat esse malum, & simul certo probabile sit esse bonum, etsi probabilis foret non esse bonum, sit licitum: si enim quod a Superiore praecipitur, per hoc quod non constat certo esse malum, etsi subito probabilis constaret malum esse, adhuc ex praecipito Obedientiae exequendum est; & sicut Superiori licet praecipere omne, quod ei non est certo malum: ita a pari quilibet eligere poterit omne, quod ei certo probabile est non esse malum, etsi probabilis iudicare posset esse malum; eo enim ipso, quod ei certo probabile est, non esse malum, quin esse prudenter bonum, non est ei certo vetitum. Hoc principium tuetur S. Thom. S. Leo, S. Anton. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 36. & alij; etsi illud evertere tentet P. Thyrsus a n. 107.

N. 38. Similiter patet ex multiplici capite destrui, immo impossibilitari ab Adversariis Obedientiam 1. quia quemlibet subditum obligant ad summum, nempe ad sui iudicij depositionem, & oppositi conceptionem, ut infimum, seu rem praecipitam exequi possit: 2. quia substantiam Obedientiae destruunt, dum non nisi supremum obedientiae actum volunt esse obedientiam: 3. quia volunt, quod iudicium de non licentia rei subdito notorie probabilis deponi possit, praecise quia Superior utitur autoritate praecipitiva: 4. quia quemlibet obligant non solum exequi, & iudicare rem praecipitam esse praecise veram, sed etiam credere speculative veram, quasi Obedientia esset Fides: 5. quia obediens jacet inter duo praecipita, unum naturale, quod obligat ad sibi probabilis, aliud positivum Superioris obligans exequi

rem praecipitam, etsi subdito sit minus probabilis: 6. cum iudicent impossibile obedire cum proprio iudicio praebiliori, obligant quemlibet, ut illico formet iudicium de rei licentia, quam ante Superioris praecipitum putabat longe probabilis illicitam, & Superioris opinionem putabat non probabilem: sunt enim Probabilioristarum principia, quod sequenda sit notorie probabilior, si sit minus iusta; quod illi, cui una opinio est probabilior, opposita non manet probabilis: 7. quia evertitur regula Patrum, *Parendum in omni, quod non est certo peccatum*; si enim, juxta P. Munciel. *stim.* 8. §. 6. & P. Scildere *tr.* 2. n. 53. Superior praecipere non potest, nisi quod sibi est notorie probabilius, sequitur, quod nullus Probabiliorista obedire poterit Probabilioristae: rursus, quod ut subditus obedire possit, formare debet iudicium directum notorie probabilis de rei licentia; sed si ad hoc tenetur, non obedit in re, quae sibi non est certo peccatum, sed in re, quae sibi est certo non peccatum, cum, juxta Adversarios, notoria probabilioritas idem sit ac certitudo moralis: ergo destruitur ea regula Patrum.

Econtra planissima est, juxta nos, Obedientia, tam recto, quam dimisso proprio iudicio. Plana est recto, quia recurrere possum, vel ad iudicium modale de certa probabilitate licentiae operis praecipiti; vel ad iudicium reflexum mixtum huius regulae, *Parendum in omni, quod non est certo malum; res praecipita non est mihi certo mala; ergo parendum.* Plana est dimisso, quia etsi Superioris opinio de rei licentia sit subito minus probabilis speculative, adhuc poterit ei directe assentiri. En igitur quam facilis, juxta nos, sit Obedientia, praesertim si alienam minus probabilem sequi licet; quam difficillima admittis Adversariorum principis, quod minus probabilis non maneat relative probabilis; & quod probabilioritas sit quasi certitudo moralis; immo admittis particularibus aliquorum Probabilioristarum in materia Obedientiae principis, (quod necesse semper sit deponere proprium iudicium, & formare aliud directum simile iudicio Superioris) quam penè impossibilis. En quam integra, juxta nos, SS. PP. regula, *Parendum in omni, quod non est certo peccatum*: econtra quam laesa ab Adversariis; nam parendum tantum est in omni, quod est certo non peccatum; debet enim obediens, juxta illos, concipere iudicium notorie probabilis de non peccato simile iudicio Superioris.

§. V. ...

Secunda responsio.

S U M M A R I U M.

Ex eo quod particularis aliqua Probabilistarum opinio Obedientiam evertat, male inferitur, quod Probabilissimus evertat, quin si evertit minus probabilis, evertit ut probabilior, a n. 40. ad 44.

Lex de deponendo judicio est pure arbitraria, n. 45.

Principia Probabilistarum sunt, quae evertunt, a n. 46. per totum §.

Probabilissimus fovet, n. 47.

DD. tuentes, & negantes subditum teneri obedire, quoties probabilis sibi est rem esse malam, n. 48.

Nulius sub precepto tenetur ad virtutis apicem, n. 51.

Ut subditus retento suo judicio licite obediat, sumere debet aliud reflexum pro conscientia distamine, n. 53.

Omnes lege naturali tenentur Superioribus parere, n. 54.

Superiores funguntur vice Dei, ut Legislatores; Doctores vero vice Dei, ut Magistri, & inter eos discrimen, n. 55. & 68.

N. P. At. Munic. *stim.* 8. §. 7. a n. 61. queritur, quod illum Probabilitate de legita obedientia arguant, dicens trabem suis in oculis non videre. Quid enim magis Obedientiam laedit, quam Probabilis, qui dum docent licitum sequi minus probabilem, docent licitum non obedire; nam omnes hae opiniones, (Quoties probabile est preceptum esse illicitum; vel Quoties dantur opiniones probabiles de licentia, & non licentia rei precepte; vel Quoties dubitatur, an res precepta excedat Superioris potestatem; vel Quoties lex non est certa, non obligat) omnes, inquam, probabiles sunt, & Obedientiam evertunt: ergo Probabilissimus eam evertit. Dein solvit rationes P. Terilli *qu.* 23. de Conf. & P. Bardi in Apol. contra Philal. §. 9. & concludit *num.* 71. En vires, & virus Probabilistarum.

N. Idem prius docuerat P. Thyrs. *dis.* 14. a *num.* 83. quod tam procul sit, ut Probabilissimus, seu sententia docens licitum sequi minus tutam minus probabilem, tam propria, quam alienam, sit necessaria ad virtutem Obedientiae, quin viam aperit ad eludenda Superiorum precepta; recte enim M. Merc. ostendit, leges a probabilibus interpretationibus labefactari. Accedit, inquit *num.* 105. quod a Probabilistis prima nota defenditur Tom. II.

tamquam principium, subditum non teneri obedire, etsi possit, quoties res precepta est sibi probabilis illicita, ut docet P. Sanch. P. Sanc. *lib.* 6. *Sum.* *cap.* 3. P. Palao *1. p. d. 2. pun.* 6. & P. Pal. alij. Idem dicit *n.* 88. de aliis opinionibus reputatis probabilibus; ex. gr. quod si res sit valde molesta, & dubitetur an sit licita, parendum non sit; similiter an jubentis jurisdictionem excedat: ergo sententia de licito uti minus tutae minus probabilis Obedientiam evertit.

Sed contra 1. quia si hic modus arguendi N. valet: Aliquae particulares Probabilitatum 42. opiniones evertunt Obedientiam, ergo Probabilissimus eam evertit: valebit quoque iste: Aliquae particulares Probabilistarum opiniones evertunt Obedientiam, ergo Probabilissimus eam evertit. Quinimmo, si aliquae probabiles evertunt, cum ille fuerint suis AA. probabiles, evertunt ut probabiles. Fateor aliquas tam Probabilitatum, quam Probabilistarum evertere; at nec ut probabiles, nec ut probabiles, sed quia cum nulla probabilitate gauderent, judicatae per errorem fuere probabiles, aut probabiles. Nulla ergo illatio a particularibus opinionibus Obedientiam evertentibus ad concludendum, quod generalis Probabilitatum, aut Probabilistarum sententia eam evertat. Adde quod sit transitus a quaestione practica directa, cujus utraque contradictoria est certo probabilis, ad practicam reflexam, cujus una est certo falsa. Directa practica est, an res precepta sit licita? suppono adeste probabiles pro licentia, & non licentia opiniones: Reflexa est, an dato quod probabile sit rem preceptam esse illicitam, teneat obedire? Ego dico teneri, quia adest certa regula parendi in omni, quod non est certo malum: ergo opinio negans me teneri, non est probabilis, quia illi certae regulae opponitur. Idem dico de aliis opinionibus particularibus, etsi probabiles judicarentur, quae si dictae regulae opponuntur, nec probabiles sunt.

Profecto, si res odiosa non esset, fuse ostenderem plures particulares Probabilitatarum opiniones Obedientiam evertere. 43. Quatuor tantum referam. Adrian. *quodlib.* 2. *pun.* 3. *littera A.* ait, quod subditus dubitans de malitia actus, obedire non possit. M. Mart. de Prado *cap.* 1. de Conf. *qu.* 7. §. 10. ait, quod si posito precepto subditus probabilis judicet se non obligari, non tenetur; immo §. 3. *n.* 14. quod opinans probabiliter, posito precepto, opus non licere, obedire non teneatur. Palancus *qu.* 38. *n.* 33.



46. ait, quod si subditus, stante precepto, adhuc probabilius iudicet rem preceptam esse illicitam, nec teneatur, nec possit licite obedire. P. Scildere tr. 2. cap. 4. num. 57. ait, quod subditus probabiliter (id est, probabilis, nam, juxta illum, solum probabilis est probabile) opinans actum imperatum esse malum, non possit obedire, licet Superior opinetur esse licitum; & ut possit, non teneatur.

N. Scio, quod P. Munciefa sim. s. n. 77. & P. Thyrius n. 90. interpretentur, obedire non posse retento proprio iudicio, non autem dimisso. Sed non subsistit, nam P. Scildere cap. 2. n. 25. docuerat illicitum sequi alienam, & inde intulerat, quod subditus probabiliter iudicans rem esse malam, obedire nequeat; quin qui deponat suum probabilius pro minus probabili Superioris?

N. Recole quae dedi s. antec. contra hanc fidam legem de deponendo iudicio proprio, & de formando simili ei, quod habet Superior. Dico, sicutam, quia, ut dixi s. antec. neutrum est lex, sed sunt media pro Obedientiae perfectione, non pro Obedientiae substantia, & precepto. Tota lex est, *Parendum in omni, quod non est certe peccatum*: quod autem quis pareat primo, vel secundo, vel tertio Obedientiae gradu, de hoc nulla lex. Ostendi autem l. c. quod illi Probabiliorista, qui subditum obligant, ut temper suum iudicium deponat, & aliud simile iudicio Superioris concipiat, omnes Obedientiae gradus, solo excepto supremo, impossibilitent. Modo ostendo, quod generalis Probabilioristarum sententia evertat etiam obedientiam.

Primo, quia hoc ipsum intulerunt Adrianus, & P. Scildere docentes, quod subditus putans probabiliter rem esse malam, non possit obedire. Secundo, nemo nec potest, nec debet obedire in eo, quod est sibi certo esse malum, sed subditus probabilis iudicans rem esse malam, iudicat certo esse malam; quia, juxta omnes Probabilioristas, idem est notorie probabilis, ac moraliter certum; & sibi nullum minus Probabile, manet relative iam probabilis; & nemo licite sequi potest alienam minus probabilem: ergo subditus, qui probabilis iudicat, aut iudicare potest, rem esse malam, obedire non potest. Tertio, quia subditus operari nequit, nisi sub aliquo modo iudicio: non sub directo probabiliori de non licentia, quia hoc opponitur licentia: non sub directo alieno sibi minus probabili de licentia, quia alienam sequi non potest: non sub iudicio reflexo supra probabilitatem, vel nixio huic regulae, *Parendum in omni, quod*

non est certo malum; tunc quia Advertiser negant iatis esse iudicium reflexum de probabilitate; sed necessarium semper directum de veritate; tum quia impugnant Probabilitas Reflexitas, qui, ut tucantur licitum usum opinionis benigna, recurrunt ad principia reflexa; tum quia cum subditus probabilis iudicet, opus esse malum, parendo poneret opus sibi certo malum, non autem sibi non certo malum: ergo sub nullo iudicio, sive proprio retento, sive dimisso, sive directo, sive reflexo, operari potest; sed nec concipere potest iudicium simile iudicio Superioris; ut constat ex s. antec. quia per preceptum non additur nova ratio, per quam opinio Superioris fiat illi speculativa probabilior, sed ad summum fit practica; eadem autem ut minus probabili attentum nequit; ergo si non licet sequi alienam, obedire nequit.

Contra 2. quia per generalem Probabilioristarum sententiam fovetur obedientia; per generalem Probabilioristarum detrahitur, etsi utrique aliquas particulares minus faventes obedienti opinionones docuerint; ergo Probabiliorismus Probabiliorismo praecedens. Antecedens probat, & explicat. Duplex est sententia; una tuetur subditum possit saltem, immo teneri parere, etsi probabilis putet rem preceptam esse malam. Ita P. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15. P. Terri. q. 46. de Reg. Mor. n. 10. & n. 30. dicens, subditum, sive laicum, sive Religiosum teneri in incertis obedire Superiori, sive seculari, sive Religioso; & citat S. Bernard. S. Bonav. S. P. Ignat. & alios; P. Carden. tom. 1. d. 16. cap. 4. & tom. 4. diff. 2. n. 596. & diff. 3. n. 25. Caram. in Dialect. de non certitudine n. 515. qui ait, quod docentes nos obedire non posse, si quod praecipitur, est minus probabile, turbare Christianam Rem publicam. Ecce opinio omnibus strictior circa obedientiam; & quidem omnes, quos praededi, Probabiliorista sunt, alique plurimi ab illis citati.

Alia est opinio negans teneri subditum obedire, si probabilis iudicet, aut iudicare possit, rem preceptam esse malam. Ita ex Probabiliorista P. de la Fuente, fuse disp. 1. q. 60. P. Ovied. 1. 2. tr. 5. n. 60. P. Gibilla p. 68 tom. 1. de Scientia Canon. lib. 3. cap. 7. q. 8. dicens, hoc sibi fere certum salique plures; & ex Probabiliorista P. Scildere, Adrianus, M. de Prado, Palanco, quorum loca dedi meo n. 43.

Modo ita arguo juxta generalem Probabilioristarum sententiam: Subditus iudicans minus tutam sibi probabilioriam, tenetur, vel

vel saltem potest obedire Superiori: e contra juxta generalem Probabilioritarum negantium licitum sequi minus probabilem; subditus non potest obedire, tantum abest, ut teneatur: ergo Probabilissimus Probabiliorissimo preferendus: ergo si non licet sequi minus probabilem, evertitur obedientia. Prima pars patet; quia subdito, ut obediat, satis est, ut retento suo judicio directo de non licentia rei formet aliud de probabilitate licentiae, aut assumat principium de parendo in omni, quod non est certo malum, & sub istis judiciis ponat opus praecipuum; vel si perfectius operari velit, potest, omisso proprio judicio, assentiri opinioni Superioris, etsi sibi minus probabili, & juxta eam operari: ergo, juxta Probabilissimum, omnis obedientiae magis, & minus perfectae gradus facilissimus est. Altera pars antecedentis probatur, quia subditus, cui sua est probabilior, judicat Superioris opinionem non esse sibi probabilem, juxta principium Philaleti, M. Mercori, M. Gonetii, Palanci, P. Thyrsi, & P. Muniesii, quod minus probabile in consorcio probabilioris non maneat probabile. Rursus, cum, juxta eosdem, omne probabilius sit quasi moraliter certum, eo ipso est subdito certum, quod res praecipua est peccatum: ergo, retenta propria opinione, juxta Probabilioritas, obedire non potest; sed nec ea ommissa, quia vel pro conscientiae dictamine assumit judicium reflexum modale de certa probabilitate alienae; hoc autem juxta eos satis non est: vel aliud reflexum nixum ei regulae; *Parendum in omni, quod non est certo peccatum*; quod etiam tatis non est; quia volunt requiri directum de rei licentia judicium: vel assumit aliud directum minus probabile, de licentia; & hoc non, quia sequi non licet minus probabilem; vel judicium longè probabilius de licentia; & hoc non, quia Superior jubendo non trahit rationes, ob quas subdito fiat longè probabilius licitum, quod antea illi erat probabilius illicitum; autoritas enim Superioris non auget probabilitatem speculativam, sed practicam, quatenus facit opus illud eligibilis; quae non satis est, cum, per Adversarios, necessarium sit judicium directum speculativè probabilius, seu moraliter certum de honestate operis praecipui, ut est in se.

Dices 1. ex P. Eliz. lib. 2. qu. 14. pag. 182. quod ratio probans parendum esse, probet, quod etiam contra propriam opinionem: 2. ex Philal. pag. 117. subditum parendo non sequi minus probabilem, sed certam, quia certo judicat sic agendum: 3. quia subditus,

si retento suo judicio obediat, aget contra conscientiam: 4. quia doctrina de judicii depositione obligat tantum illos, qui obedientiae voto ligantur: 5. quia doctrina P. Terilli qu. 23. de Consc. comparantis auctoritatem Doctorum cum auctoritate Superiorum, (ait P. Muniesii.) audienda non est, quod sicut subditus sequi potest opinionem Superioris sibi minus probabilem, ita quoque alii opinionem T. T. oppositam propriam, nam Superior (ait P. Muniesii.) gerit vices Christi D. & ejus auctoritas est praecipua; non ita Doctor, nec ejus auctoritas.

Ad 1. resp. ita esse, nam lex est, *Parendum in omni, quod non est certo peccatum*; 51. haec autem lex non salvatur à P. Eliz. nisi in supremo gradu, ad quem nullus sub praecipuo tenetur, ut constat in aliis virtutibus: ergo si subditus deponere tenetur suum judicium, & aliud formare, lex obedientiae non salvatur, nisi in summo gradu, ad quem nemo tenetur.

Ad 2. duo sunt hic valdè diversa: unum, N. an ut quis obedire possit, necesse sit, ut liceat sequi alienam? & hoc ego nego, nam etsi hoc licitum non esset, adhuc, juxta me, posset, & deberet obedire, tam deposito, quam non deposito proprio judicio, dummodo simul formaret aliud, vel de certa probabilitate licentiae, vel nixum regulae, *Parendum in omni, quod non est certo peccatum*. Aliud est, an, suppositis Adversariorum principis, quod nulla minus probabilis maneat probabilis, quod omnis probabilior sit moraliter certa, quod ut quis obedire possit, non satis sit judicium reflexum, sed necesse sit, ut semper ad sit directum; an, inquam, necessarium sit, quod liceat sequi alienam? hoc autem ostendi necessarium esse. Adde ex P. Teril. qu. 2. de Reg. Mor. n. 142. quod si Philaletus recurrit ad principium reflexum, *Parendum in omni, quod non est certo malum*, quo assumpto subditus format dictamen de licentia rei praecipua; ita quoque, etsi intellectus assentiri non posset minus probabili, assumere poterit principium reflexum, nempe, *Omne quod non est certo vetitum, immò est certo probabiliter licitum, est licitum*, quo assumpto formare poterit dictamen practicum de licentia operis juxta minus probabilem, etsi ei directe non assentiat, nec assentiri possit.

Ad 3. dico, quod si subditus sub solo suo N. judicio directo operetur, operabitur contra conscientiam, quin sub eo solo licitè obedire nequit, quia judicat opus esse malum, quare tunc aliud simul judicium sumere debet vel de certa probabilitate licentiae rei praecipuae.

Philal.
M. Merc.
M. Gonet.
Palanc.
P. Thyrs.
P. Mun.
N.
50.
P. Eliz.
Philal.

præcepta, vel nixum regule obedientia: toties repetita.

N. Ad 4. dico, quod subditi, five votum emiserint, five aliunde lege naturali obligentur, debeant semper quoad substantiam obedire; ita lege naturali sub mortali tenentur in re gravi filij obedire patri, servi dominis, vassalli Regibus, Ecclesiastici Prælati, adeoque rationes nostræ ubique urgent, & responsa opposita ubique infirma.

N. Ad 5. dico P. Terillum l. 6. nil tale dicere: deinde quidquid de eo sit, etsi Superior quoad vim dominativam, Dei vices suppleat, non ita Theologi, qui ea carent; attamen suppleant vices Dei, ut Magistri in ordine ad docendum; & sicut Deus quoad agenda remittit nos ad Superiores, ita quoque in ordine ad scienda remittit nos ad Videntes, ad Prophetas, ad legis Doctores: ergo sicut quia Superior habet vim dominativam, possum, & debeo sequi ejus opinionem; etsi mihi minus probabilem; ita quia gravissimi TT. habent docendi potestatem, potero saltem, si non debeo, sequi eorum opinionem, etsi mihi minus probabilem, ex. gr. D. Augustini, D. Thom. & similibus.

§. VI.

Tertia responsio.

SUMMARIUM.

Discrimen inter dubitantem, & opinantem, n. 56. & 57.

Si ego essem Probabiliorista, facile ostenderem, quod ex virtute obedientie non inferatur licitum sequi minus probabilem. At cum Probabilioristarum principis non coheret, num. 58.

Nulla opinio ledens obedientia regulam est mihi certo probabilis, n. 60.

Præsumenda semper jurisdictioni in Superiore legitime electo, ib.

Everso obedientia non oritur ex Probabiliorismo, sed ex principis, quibus a plerisque defenditur, n. 62.

Superiorum elogia nunc probant, quod per præceptum augetur practica probabilitas, n. 64. & 65.

Difficillima in principis Probabilioristarum obedientia; juxta nos facillima, n. 66. & 67.

Querela Doctorum de abusu eligendi minus doctos, n. 69.

Tandem Palanco docet, quod si subditus, stante præcepto, adhuc persistat in sua opinione, parere non teneatur, n. 70.

Nostra argumenta recurrunt contra judicium negativæ conformæ, n. 71.

R. Respondet Palanco qu. 38. ineptum esse nostrum argumentum, & evidenter unitatis; certum enim est, quod nemo operari possit cum dubio de licentiâ, quo posito, ita arguit: Dubitans de licentiâ operis tenetur, jubente Prælato, illud exequi: sed nemo tenetur nisi ad licitum: ergo licitum est exequi opus, de quo dubitatur. Quod si dicatur tolli dubium per præceptum, hoc ipso præceptum auget probabilitatem. Subdit n. 3. quod obedientia à nobis destruat, quia licet non obedire, quoties aderit opinio minus probabilis pro licentiâ operis, aut jurisdictione Prælati. Secundo ait n. 9. quia licet minus probabilis, licet opinio Probabilioristarum, que saltem est minus probabilis; sed hæc, juxta nos, destruit obedientiam: ergo licet sequi opinionem, que destruit obedientiam.

Sed contra; quia tantum est inter allatam instantiam, & nostrum argumentum, discrimen, quantum inter dubitantem, & opinantem, non utcumque, sed opinantem probabilius oppositum ei, quod præcipitur: dubitans suspendit omnem actum, & indifferenter se habet ad utramque partem; opinans autem probabilius rem præceptam esse malam, est determinatus ad partem, quam opinatur: ergo nulla est instantia ex eo quod dubitans de opere possit, & teneatur, posito præcepto, obedire, quod probabilius putans rem esse malam tenebitur quoque posito præcepto obedire: nam ille potest; hic, suppositis Adversariorum principis, non potest. Sanè si Palanco contra nos probat, non tantum difficile, sed impossibile sequi minus, aut æquè probabilem, & adhuc magis impossibile esse judicium proprium depanere, ut aliud minus probabile concipiamus: rursum si negat certum de probabilitate judicium satis esse, sed necessarium, ut formemus directum de veritate, quomodo, qui hæc impossibilia vocat, vult, quod per Superioris præceptum subdito fiat longè probabilius licitum illud idem opus, quod ante præceptum subdito tuit longè probabilius illicitum?

Fateor, quod si ego Probabiliorista forem, facile exponerem, qualiter obedientia cohereret cum sententiâ negante licitum sequi minus tutam minus probabilem. Dicere quod subditus probabilius putans rem præceptam esse malam, adhuc obedire possit, tam retento, quam dimisso suo judicio, assumendo regulam, *Parendum in omni, quod non est certo peccatum*: sed opus præceptum non est mihi certo peccatum: ergo mihi parendum est. At non capio, qualiter cum princi-

principijs, quæ Probabilioristæ assumunt, ut suam sententiam negantem licitum sequi minus tutam minus probabilem, defendant, coherere possit obedientia. Etenim volunt quod omnis probabilioritas tollat omnem ab oppositâ probabilitatem, ac si omnis probabilior foret moraliter certa: sed per hoc principium opinio subdito probabilior de non licentiâ rei præceptæ fit subdito moraliter certa de non licentiâ; & opinio Superioris de licentiâ fit eidem subdito certò moraliter fallâ, & res præcepta fit certò moraliter mala: ergo per hoc principium evertitur obedientia. Rursus aliud eorum principium est, nec satis esse iudicium modale de certâ probabilitate, nec satis aliud nixum huic regulæ reflexæ, *Parendum in omni, quod non est cerio peccatum*, sed necessarium temper esse directum de licentiâ operis præcepti, & quidem probabilius. Hoc autem, nisi Superior rationes proponat, ob quas res subdito videtur possit probabilius licita, à solo Superioris præcepto haberi non potest, & quidem tam ad manus, quam obvia est obedientia.

Pantas dubij non urget: ut enim dubium per alia principia deponi potest, ex. gr. per hoc lex dubia non obligat; immò sicut intellectus sine novâ ratione ad minus probabile à solâ voluntate flecti potest, ita intellectus dubius à Superioris præcepto determinari potest. At ita proprium iudicium deponere, ut quod mihi erat probabilius pro non licentiâ, fiat pro licentiâ probabilius, nisi nova ratio suadens oppositum addatur, per solum Superioris præceptum fieri non potest; nam præceptum Superioris facit quidem, quod opus præceptum, si non constet certò esse malum, sit eligibilius; non tamen auget speculativam probabilitatem opinionis stantis pro licentiâ operis.

Ad aliud dixi me nolle ad opiniones particulares circa obedientiam descendere, & quætere, an sint probabiles, vel non. Hoc aliter, quod nulla opinio elidens hanc regulam, *Parendum in omni, quod non constat cerio esse peccatum*, sit mihi probabilis; atque adeo non est mihi probabilis opinio asserens, parendum non esse, quoties probabile est opus non licere, aut Superiorem jurisdictione carere, quia dictam regulam defrauit, & quia à directâ speculativa probabilitate jurisdictionis, & licentiæ transiit ad practicam reflexam, an sit practicè probabile, quod parendum non sit, quoties probabile, aut probabilius est opus non licere. Scio quod Theologi aliter discurrant de jurisdictione, ac de re præceptâ; nisi enim illa certa sit, (ait M. Paderbornus cum plurimis) nemo

parere tenetur. Verum quidem est, quod in Superiore legitime electo jurisdictione præsumenda est: e contra, ut res præcepta sit licita, necesse non est ut sit certo directè in se licita; satis ut non sit certo illicita in se, & præcipiatur.

Nequeo omittere, quod Palanco n. 4. & 5. dicit, non esse certum, immò oppositum esse probabilius, nempe quod Prælati præcipere non possit opus probabiliter licitum, & probabiliter illicitum. Rogo num hæc opinio faveat regulæ obedientiæ, *Parendum in omni*? Ergo si de particularibus opinionibus sermo sit, ignoro, an Probabilioristæ laxiores docuerint.

Ad ultimum everfio obedientiæ non oritur, ut dixi, ex Probabiliorismo, sed à modo, quo à Probabilioristis defenditur, quatenus omnes necessitant ad iudicium directum probabilius de licentiâ operis præcepti, & negant satis esse aliquod reflexum, ut latè, & sæpe monui.

Post hæc Palanco à n. 10. totus est in probando (etsi parum solidis mihi rationibus) rem prorsus certam, nempe, quando utraque opinio est probabilis, obediendum Superioribus, quia sunt visibiles subditorum normæ, & regulariter doctiores, & Deus illis specialiter afficit, & experienciâ teste numquam contra Dei legem præcipiunt, adeoque præsumendum est, licitum semper esse quod præcipiunt: ergo per eorum præceptum probabilitas valde augetur. Dein n. 28. dicit summum inter Superiores, & T. T. intercedere discrimen; etsi enim utriusque consulant, & dirigant; attamen respectu subditi non datur, nisi unus Prælati, non autem alter ei contradicens, ut datur inter T. T. & ideo subditus tenetur obedire Prælati; non ita consulens Theologo: ergo ex hoc quod Deus non nisi unum Prælatum subdito immediatè constituerit, se obligavit longè plus Prælati, quam T. T. assistere.

Sed contra; quia hæc & alia, quæ congerit, non probant, nisi rem nobis certissimam, nempe quod subditus parere teneatur in omni re, quæ illi non constat esse certo peccatum: ergo etsi subdito probabilius esset rem esse malam, quia adhuc, juxta nos, non est illi certò mala, (non enim nos doceamus, ut docent Adversarij, quod maior probabilitas tollat minorem) ideo, juxta nos, tunc etiam obedire tenetur. Probant quoque quod per Superioris auctoritatem augetur reflexa, & practica probabilitas, quod etiam est nobis certum, nam subditus ex principijs reflexis, quod Superiores gerant vices Dei, ut domini, quod Deus illis

N. 61. Palanc.

N. 62.

N. 63. Palanc.

N. 64.

specia-

specialiter afficit, quod regulariter sint probi, quod illis parendum in omni quod non est certo peccatum, format dictamen practicum reflexum, quod sit certo licitum, quod Superior præcipit. Hæc omnia sunt nobis certa.

N. 65. *Palanco.* At quomodo probat Palanco, quod directæ, & speculativa rei præceptæ probabilitas per præceptum augeatur, cum hoc sit punctum, quod probandum esset, eò quia iudicium, ut pareat, obligat ad hoc iudicium directum probabilius de licentiâ rei præceptæ. Sanè etsi subditus certo reflexè iudicet esse sibi licitum opus præceptum, adhuc tamen ignorat, an opus illud sit directè in re licitum: ergo per hoc quod reflexa, & practica probabilitas augeatur, non infertur directam, & speculativam etiam augeri: hæc enim non augetur, nisi à ratione, & motivo, quorum neutrum Superior, dum præcipit, trahit. Demum quomodo probat, quod obedientiæ regula, & quidquid in Superiorum favorem adducit, ut illis obedire teneamur, illæsa cum suis principijs persistant?

N. 66. *Palanco.* Cum nostris nil facilius, ita enim obedientiæ, & Superiorum iurisdictioni favemus, ut velimus, quod subditus, etsi suam opinionem probabiliorem iudicet, parere teneatur Superiori, sive Superior præcipiat, quæ Superioris iudicio sunt magis, aut minus probabiliter licita; quod potest negat Palanco n. 15. Rursus ita conscientiæ subditi consulimus, ut multiplicem obediendi modum, & obedientiæ gradum ei suggeramus. Nam subditus obedire potest 1. retento proprio iudicio, ita tamen, ut simul assumat aliud reflexum, vel de probabilitate licentiæ, vel nixum obedientiæ regulis, *Parendum in omni, quod non est certo peccatum: & Omne quod non est certo peccatum, si præcipiatur, est certo licitum.* Secundo, omisso proprio iudicio directo, formando unicè aliud directum minus probabile de rei licentiâ, simile iudicio Superioris. Terriò, dimisso omni iudicio directo proprio, & alieno, assumendo unicè iudicium reflexum dictis obedientiæ regulis innixum. En quàm plena, juxta nos, Superiorum autoritas, & quàm plana in subdito obedientia.

N. 67. *Palanco.* Econtra ostendat Palanco, quomodo cum suis principijs principia obedientiæ illæsa persistant. Ejus principia sunt 1. quod omne probabilius sit moraliter certum: ergo si subdito probabilius est rem præceptam esse malam, obedire non poterit, quia nemo obedire tenetur in re sibi certo malâ: 2. quod omne minus probabile non sit relativè pro-

babile: ergo cum res præcepta sit subdito minus probabiliter licita, ne quidem illi erit probabiliter licita: 3. quod semper necessarium sit directum de rei licentiâ iudicium, ut quis rectè operetur: ergo cum subditus non possit directè assentiri rei præceptæ ut licitæ, quia est sibi minus probabiliter licita, obedire non poterit: cum enim per præceptum nulla addatur ratio, ob quam res fiat subdito probabilius licita, & juxta Palanco, satis non sit, ut quis obediat, iudicium reflexum regulis obedientiæ nixum; consequenter subditus, quia formare non potest directum probabilius de rei licentiâ iudicium, obedire non poterit: ergo quidquid Palanco in obedientiæ favorem congrit, congrit contra sua principia obedientiam violentiam.

De discrimine inter TT. & Superiores, & N. 68. quod respectu subditi unus tantum sit Superior, ut ait Palanco, fateor ita esse; at hoc unicè probat, quod subditus ex obedientiæ lege obedire teneatur suo Superiori; non ita sui Magistri sententiam dicitur, nec consulens Theologi à se consulti consilium sequi teneatur. Cum toto hoc, ut dixi, magna quoque inter Superiores, & TT. consentio; utrique enim consulunt, dirigunt, docent verum, & licitum; cum hac differentiâ, quod Theologorum directio tendat directè ad intellectum, quem intruit; autoritas autem Superiorum est directè in voluntatem subditorum; & ideo subditus tuadetur obedientia cæca, ne in re præceptâ inter rationes pro licito, & illicito sophisticentur, sed assumant tamquam certum, quod si res præcepta non est certo illicita, sit certo licita.

Demum non est certum, quod Palanco dicit, Superiores regulariter esse doctiores, & 69. peritiores. Rogo ut legat Fabrum insignem Patris Scotistam, (meritè à se qu. 29. laudatum) qui de opposito conqueritur in 4. d. 45. de Resol. cap. 5. n. 138. dicens: Litteratis ut multis, & equis utuntur, id est solum ad labores; ad dignitates autem, & regimina dicunt esse ineptos. Hunc quoque abusum valdè deplorat Maltrius d. 6. de obligat. Just. Distrib. art. 1. n. 10. qui dicit, quod plures diversarum Religionum auctores de hoc abusu vehementer conquerantur; eumque præcipuum habere locum in Religionibus, in quibus ignorantia, vel hypocritis dominatur: ergo non est adeo exploratum Superiores esse plerumque doctiores, cum DD. citati, & plures citandi iudicent oppositum. Ego tamen admitto hoc prorsus ut certum, ex hoc tamen nil prorsus infertur quoad probabilitatem augendam, quia tunc Superiores non se habent, ut Doctores, qui instruant,

struunt, sed ut domini, qui iubent, & ideo
regere S.P. Ignatius ius Filii consilii, ne
iubeatis personam, an sit doctor, & pru-
dentior, respiciant, sed Christi D. cuius vice
fungitur. Ideo quoque, ut praxis ostendit,
quoties disputatur de re controversa, non so-
lent a Regibus vocari Prælati, sed Theolo-
gi in illis ergo vis dominativa voluntatis in
his vis illustrativa intellectus reidet.

Tandem, ut constet nostrarum rationum
efficacia, audiatur ipse Palanco qu. 38. n. 46.
c. 33. ubi ait, quod hæc ultima de Supe-
rioribus doctrina patitur aliquas exceptio-
nes; potest enim probabilitas pro eo quod
opus sit illicitum, adeo excedere probabili-
tatem pro licito, ut etsi addatur autoritas
Prælati, non sit sufficiens, ad hoc ut subdi-
tus rationabiliter dubitet, an opus sit lici-
tum, vel illicitum, sed adhuc stante præce-
pto Prælati prudenter subditus subsistat in
sua opinione, quod opus præceptum non sit
licitum, & tunc dico, (N.B.) quod subdi-
tus nec potest licite, nec tenetur obedire,
quia conscientia propria prudenter retenta
magis obligat, quam præceptum Prælati.
Hæc Palanco. Ecce impossibilis obedientia,
quoties, stante præcepto, subditus adhuc
probabiliter iudicat rem præceptam esse illi-
citam.

Dices ex eodem n. 46. Ut subditus, stante
suo iudicio sibi probabiliori de non licetia,
obedire possit, satis esse, ut suum iudicium
iudicio Superioris negativè conformet, ju-
dicando non esse illicitum, quod præcipi-
tur, non autem positivè, iudicando licitum,
qui est perfectissimus (ait n. 50.) obedienti-
æ gradus. Sed contra 1. quia alibi docet,
quod necessarium semper sit directum de-
licentia iudicium: ergo sibi contradicit: 2.
quia erunt simul in subdito duo iudicia con-
tradictoria, nempe proprium, Res est illicita;
& aliud negativè conforme cum iudicio Su-
perioris, Res non est illicita; & recurrunt con-
tra hoc iudicium negativum omnia, que
contra positivum.

SECTIO II.

Sanctur ex Sacramento Penitentia.

S. I.

Nostra ratio.

SUMMARIUM.

Sicut quæstiones, n. 72.
Tamen Confessorio, quum in penitente, necessa-
ria dispositio, n. 73.
Penitens non tenetur sequi opinionem Confes-
oris, n. 74.

Nostra ratio, suppositis Contrariorum principis
est insolubilis, n. 75.
Probabilista, & Probabiliorista licentes, quod
auditis peccatis Confessor tenetur absolvere
penitentem, n. 76. 77.
D.D. negantes, n. 78.
Si penitens non est ritè dispositus, nisi sequatur
sibi probabiliozem, ita nec Confessor, n. 79.
per totam sectæ.
Confessor a nullo iudicio dirigi potest, ad abso-
luendam, & iam peccabit absolvendo, quam
non absolvendo, n. 82. & 83.

Suppono 1. ut rationi locus sit, peni- N.
tentem, & Confessorem oppositas sequi 72.
ex classicis opinionibus, ita ut cuiusbet pro-
pria sit probabilior, Dico ex classicis, ne a
quæstionis exordio Adversarii suis muta-
tionibus nos divertant, nam si Confessor se-
quatur singularem, docent deponendam ab
eo esse, & penitentem absolvendum; non
ita si non singularem. Dico, ut ut propria sit
cuique probabilior, negant enim absolvendum
penitentem, si minus tutam minus proba-
bilem sequatur. Itaque ne nos divertant,
loquor de classicis opinionibus autoritari,
& rationi gravi mixis; & de Confessario, &
penitente, quibus propria sit probabilior: ex-
gr. Confessor probabilius iudicat peniten-
tem teneri restituere; penitens probabilius
se non teneri. Quæritur, an dato quod Con-
fessori sequi non liceat alienam libriminus
probabilem, & minus tutam; nec ei liceat
hinc iudicio directo operari, aut satis non sit
relexum de certâ probabilitate opinionis
penitentis, aut mixum alteri principio mo-
rum, (hæc enim omnia Adversarii licite
negant) an Confessor absolvere possit peni-
tentem oppositum ut sibi probabilius opi-
nantem?

Suppono 2. ad Sacramentum Peniten- N.
tiæ, ut licite conficiatur, requiri tam in 73.
Confessore, quam in penitente suas dispo-
sitiones: in illo, ut licite absolvat; in hoc,
ut licite absolvatur. In penitente requiritur
dolor supernaturalis, & firmum propo-
situm, & dictamen, quo iudicet se rectè dis-
positum. In Sacerdote requiritur status gra-
tiæ, iurisdicctio in talem penitentem, & di-
ctamen quo iudicet se ritè dispositum, ut
absolvat. Hinc constat, quod potest peni-
tens esse ritè dispositus, ut licite absolvatur;
non ita Confessor, ut licite absolvat; potest
enim in hoc deesse, vel sufficiens iurisdicctio,
vel status gratiæ, vel dictamen, quod licite
absolvat.

Suppono 3. quod etsi penitens sit subdi- N.
tus, & Confessor sit Superior, non sequitur, 74.
quod